

aquaticus in 4 domo. Itē Abrahamus Auenezre, qui fuit post Christū annis 1145, in libro suo introductorio, qui principium sapientiæ inscribitur, capite tertio sequens Albumasarem dicit; Si Aries fuerit ascendens, erit decima domus Capricornus &c. atq; eadem est etiam uia & ordo succedentium atq; cadentium &c. Ioannes etiam Hispalensis unus ex recentioribus in suis Isagogis hanc æqualem domorum distributionem uidetur innuere cū dicit; In omni hora firmamentū in duodecim partes distribuitur, quæ domus dicuntur, & prima incipit à gradu Ascendētis, & compræhendit totidem gradus sequentis signi, & sic usq; ad duodecim domos per gradus æquales. Idem sentit summus ille Astrologorum princeps & instaurator harū disciplinarum Ptolemæus, qui uixit post Christum annis 150, qui tractatu tertio, capite nono, ubi de his qui nō creuerunt, scribit de figura equicruria, quæ accidit in æquatione domorū, quæ fit per gradus æquales, cuilibet domui annuerādo 30 gra. zodiaci. Quod tantū cōtingeret in nostra eleuatione 49½ graduū, secundū supradictos tres modos æquationis domorū, dū Sol fuerit in principio ♄, cū ille hūc canonē generalē esse uoluerit. Idē Ptolemæus eodē tractatu, cap. 10, de uitæ spacio uult quòd 5 grad. signiferi præcedentes cuspidē domus, & 25 mox sequentes, teneant uirtutē talis domus, ita quòd quælibet domus contineat æqualiter 30 gradus zodiaci. Idē autor tractatu 4, ca. 5. de filijs dicit; Quoniā de filijs post patrimoniū cōsequenter tractandū est, planetas qui in circulo per zenith capitem nostrorum &c. Hinc potest intelligi circulum qui transit, per zenith capitis nostri, & per polos zodiaci non temere, aut hodie primū à nobis positum esse. Is em̄ singulis momentis distinguit quatuor quadrantes cœli, ac constituit figurā Equicruriam, de qua supra dixit Ptolemæus noster determinans initiū decimæ domus, quæ media est inter Ascendens & Occidentē. Item ex Pontani quoq; uerbis colligi potest, quæ exstant lib. 2, cap. 1, de rebus cœlestibus, ubi inquit; Fit aut̄ ut cum signo 12 signiferū constituant, 12 quoq; cœli loca, siue 12 (ut hodie à nostris uocantur) domus constituendæ sint. Omnem igitur cœli orbiculationem ab Horoscopo progressi eodem regredientes in loca 12 partiemur. Quod aut̄ inter Mediū cœli apicē, gradumq; horoscopantē spacij interiacet, tum quadram, quadraturā, quadrantem uē uocabimus. Quò fit ut signifer ipse quatuor etiā in partes ratione hac distribuatur, unde quadræ dictæ sunt. Audis hic primo ueteres constitutionē 12 locorū cœli à signifero sumpsisse. Audis à gradu horoscopante in gradum Mediū cœli quadrantem circuli numerandū, audis zodiacum ipsum in quatuor partes hac ratione distribuī, quæ inde quadrarū appellationē retinuerūt, quæ aliter cōstitui nequeūt, nisi posito circulo, illo quē diximus transire per zenith cuiusq; loci, & per polos zodiaci. Idē paulo post cap. 3. apertius fatetur. Placet aut̄ Ptolemæo cæterisq; disciplinæ huius institutoribus partes quinq; Horoscopum progressas, ipsi Horoscopo attribuere, atq; inde proficisci, donec 30 graduū numerus cōpleatur. Idēq; etiā cæteris in locis ē triginta simul partibus statuendis seruandū tradunt. Hæc Pontanus, quamuis in sequentibus labascens non nihil; Tamen in his uerbis præceptoris sui Iulij Firmici uestigia pulcherrimē ac planissimē referens. Qui quidem Firmicus primus Astrologiā latinē conscriptā nobis reliquit, ac fuit post Ptolemæū annis 170. Hic lib. suo 2, cap. 22. hanc distinctionem 12 domorū cœli secutus longissimē profequitur. Neq; uerò obscure testatur domiciliorū cœlestiū antiquitus perpetuò æquale fuisse in signifero distributionem illa uetus domorum constitutio in figura sedecim laterū, quam à ueteribus acceptam, etiam hodie recentiores medici in iudicio dierū Criticorum obseruant, in qua quælibet domus uicinis, binisq; gradibus, ac semisse unius in zodiaco tantum distinguuntur, ab Horoscopo æquabili factō progressu. De qua re Augustinum Niphum de calamitatibus huius sæculi. Lege etiam quartum Pontani caput, eiusdem libri 2, de 12 signiferi locis, & manifestē deprehendes, cū loquitur de locis 12, præcipuē uerò de 3 & 4 domo, ipsum ad hunc modum æquale repperisse. Nam & primā inquit irradiationem esse inter primā & tertiam, Et de quarta